

Noto, in questa matina fo ditto a Rialto, esser letere di Corfù, l'arma' turchescha levata di Modom per andar a Napoli di Romania; et sier Pollo Contarini, fo in Corom, qual fu castelam a Napoli, era andato per terra a veder di far Napoli si rendesse.

È da saper, li stratioti di Gradischa, *maxime* li mothonei, mandono qui uno l'horo messo con letere, dimandando provision.

319 *Copia de una letera dil signor turcho al serenissimo signor re di Hungaria, scritta in ratiano, e traduta in latin.*

Gratia Dei, ego magnus princeps et potentissimus imperator, ac magnus amyr sultan Bayazit ham omnium terrarum maritimarum ac romanarum ac Caromania, Natholia, Romania et multarum aliarum terrarum dominus, scribit excellentia imperialis intentionem hanc etc., eadem gratia Dei, serenissimo regi Hungariae, Bohemiae et insuper Moraviae, Slesiae et Lusaciae duci, ac multarum aliarum terrarum domino, salutem et omnium felicium successuum incrementum suae regiae serenitati opto.

Cæterum majestati tuae do, quomodo majestati meae imperiali dux Venetiarum, antea ex corde et recte servivit amicusque ejusdem fuit; nunc autem, et ab aliquo tempore, ex instigatione diabolica et absque ratione et cum diaboli sui informatione, infelix dux venetorum et male fortunatus, furiis dolisque agitari ac iniquis servitiis indigne erga me se ostendere coepit. Proinde majestas mea imperialis, bonae memoriae genitoris mei, ac beati et felicissimi avi mei viam et iter suscipiens, de sede mea imperiali me movi, cum apparatu et armata ac exercitibus marinis processi, ubi idem dux venetorum penes mare unam civitatem habebat, quam Mothon vocant, magna speciositate decoratam, muros et turres mirae altitudinis ac fossata terrenae profunditatis profundissime effossa habentem. In hac superbientes veneti, qui fideles Dei sunt, alii se eorum abscondebant, alii cursitabant, alii stabant, et malo ipsorum omine ac diabolica malitia nominatissimi fuerant. Eam ob rem, Dei adjutorio, decimo die mensis julii, feria sexta, sub praedicta civitate descendi, exercitibusque meis illam obsedi, ac, gratia Dei, quinto die, vocatus . . . ipsam, pro majori parte captam, praesidiisque, signis ac banderiis cinxi. Postea, non post multos dies elapsos, armata venetorum veniens, et ab una parte civitatem illam obsedit, subsidium ferens unde se posse intrare sperabat; sic viam illi praecloserunt mei. Ac tandem, iniqua armata eorum veniens

prope civitatem praedictam, et cum vento insurgens, volebat pro auxilio ad civitatem intrare, et ibi aliquot ligna sive naves meae conjungi civitati volebant, ut eorum ligna ab ingressu prohiberent, et sic mea ligna cum eorum colligata fuerunt, ac inter se magnum praelium fecerunt, et large sanguinem effuderunt et, cum auxilio Dei, ligna majestatis meae victricia evasere. Et, illis profligatis, duo magnae spissitudinis ligna eorum, cum hominibus et apparamentis ad faciem accepimus, et aliquot alia bombardis et ingeniis fregimus submersimusque. Remanserunt autem eorum mirae magnitudinis ligna, et ista videntes miracula, magno metu et timore territi, magnoque moerore affecti, profugerunt. Deinde ex parte majestatis meae, bombardis, pixidibus, taraskis et aliis variis armis, velut pluvia, muros, moenia, turres civitatis praedictae invadentes, usque ad terram demolierunt. Tandem immunda venetorum armata, de eorum lignis velocissima quindecim electa ligna, interea in civitatem, cupiditate ducti, immittere, ac ligna mea, casu illic reperta, illa eorum ligna oppugnare coeperunt. Et sic, de eorum lignis, quatuor ad civitatem inciderunt, alia vero eorum ligna per mare profugerunt. His itaque injuriis mea imperialis excellentia lacessita, magno furore est commota; ac eo momento, quo ligna eorum ad civitatem intraverunt, obsessis subsidia ferentes, subito alumnis meis et fidelissimis servitoribus ac aulicis majestatis meae firmiter mandavi, ut ex omnibus partibus civitatem invaderent. Et statim, diffusi per foramina et loca bombardis et ingeniis aperta confricaque, fortissime invadunt, ac ex omni parte viriliter instant; fossatisque jam occupatis, magnam stragem et conflictum inferens, ac auxilio Domini caelestis et Excelsi vi et potentia, civitatem praedictam accepi, nec solus unus homo ex omnibus intus repertis evasit, sed omnes sub framea mei eos posuerunt, mensis augusti nono die, prope ad noctem, die dominico; ac aliis civitatibus et castris majestatis meae civitatem praedictam, quomodo decens fuit, adieci. Familiam autem eorum, quae supererat, possessiones ac alia unde vivere consueverant, exercitui meo in praedam tradidi. Haec autem amicitiae nostrae, quae inter nos est, intuitu, ut mihi congratuleris congaudeasque majestati tuae scripsi, ac per fidelem servitorem, nuntium imperialis majestatis meae, Charoz Zicomque Viezt Hasziz Elez, litteras has misi ut gratuleris et laetaris. Pacem autem, quam inter nos habemus, ac amicitiam firmiter majestas mea imperialis tenet, et in posterum tenere volumus; et Deus novit quod laete et honorifice scriptae sunt.

319*

023